

multi reueunt per multas terras hujus nostri ordinis Salvatoris ; jam regiones albæ sunt ad messem. Unde, fratres dulcissimi, vos hortamur qui tam præclarum ordinem suscepistis, quatenus summopere vigiletis ut qui ordine et habitu fulget in corpore, resplendeat etiam in vobis in mentis puritate et decore vitæ, quatenus vita concordet cum nomine, professio sentiatur in opere. Decet enim ut de yobis veraciter dicatur : *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ.* Luceat ergo lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorifcent Patrem vestrum qui in cœlis est. Tria his verbis maxime commendantur, id est ordo, vita et habitus

II.

Ad amicum. — Dehortatur clericos a frequenti ad feminas accessu.

Deprecatus es ut tibi breviter exponerem qualiter clerici vicitare debeant. Hinc me plerique maledicti æmuli præstolantur, quia non sileo veritatem. Prima igitur tentamenta sunt clericorum feminarum frequenter accessus. Iste sexus reprehensibilis exhibet clericos. Quid tibi revera cum feminis, qui ad altare cum Domino famularis ? Te cuncti in publico, te in agro rustici aratores ac vinitores

A quotidie graviter lacerabunt, si, contra dispositum fidei, cum feminis habitare contendis ; et quia, ut arbitror, concupiscis irreprensibilis inveniri, testimonio bono muni te. Nunquid in choro apostolorum feminæ adfuerunt ? Prohibe virgines tecum commorari, quæ de genere tuo non sunt, ne, dum secretaliter ac solus ingrederis, macules testimonium tuum. Aliter namque conjugati, aliter continentes edocentur ecclesiasticum subire ministerium. Feminarum cum clericis nullo pacto convicta præcipitur conversatio ; lamia diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus femina. Cum propinquat stipula, incendit ignem, flammino ger igne percutit semina conscientiam pariter habitanis, exuritque fundamenta montium. Ego judico, si cum viris feminæ habitant, vicarium non deerit diaboli. Ex eis occupatus est homo. ferreas mentes libido domat. Si alligat quis ignem in sinum suum, vestimenta non comburentur ? aut si quis per medios carbones ignis ambulet, pedes suos non comburet ? Mihi crede, non potest toto corde habitare cum Domino, qui feminarum accessibus copulatur. Sed dicis : Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Bene et argute ; sed oportet testimonium habere bonum.

ANNO DOMINI MCII-MCXXVI

WERNERUS *Constantini*

ABBAS S. BLASII IN SILVA NIGRA

NOTITIA

(Dom GERBERT, *Historia Nigræ Silvæ.* 1793, 4°, tom. I)

Wernerus, abbas S. Blasii Silvæ Nigræ, eruditione non minus quam eximia vitæ integritate claruit, scilicet hoc illustravit. Testantur de eo monumenta domestica, illum præclare admodum scripsisse de SS. Trinitatis mysterio, de quo autem ejus opere nihil ad nos pervenit (1). De eodem sic loquitur Felix Faber in Historia Suevorum : Vir sanctus et admodum religiosus, de Ellerbach nobilis genere, et multo nobilior religione. Hic abbas, quia devotissimos nutriebat monachos, rogatus fuit a multis Deo devotis virginibus, ut ei conventum vel claustrum pro eis juxta suum edificaret monasterium. Inclinatus autem precibus earum ad latus conventus reclusorum fecit, in quo multo tempore virginum Deo devotarum fuit congregatio, juxta capellam B. Mariæ virginis, quæ hodie stat in cæmeterio in quo sepultura fuit prædictarum sororum, inter aquas multæ sanctæ creduntur fuisse Obiit Wernerus anno Domini 1126 et abbatiæ sue annis 24 feliciter.

(1) Librum Deflorationum quem sub ejus nomine ex editione Basileensi recudimus, Fabricius et autores Benedictini Galliae litterariæ, qui tamen volumen non viderant, Warnero cuidam Anglo vindicant.